UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XC. perueniens vsque ad DCC.XIV. nempe à Gregorio Magno Romano Pontifice, vsque ad Gregorium secundum

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annvs 691. Sergii Pap. Annus 4. Ivstiniani Ivn. Imp. Annus 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15007

Visual Library

XIV. Porro quod ad Iuſtinianum Imperatorem pertinet, quam citiſſime rupti fœderis damnum ſenſit: etenim hoc ipſo anno expertus eſt Abimelech (ita pro Habdimelech) Saracenorum tyrannum infeſtum, de quo hæc ex Theophane Annales Græcorum habent a: *Miſit Habdimelech ad ædificandum templum Mucham, & voluit auferre columnas ſanctæ Gethſemani. Et rogauerunt eum Sergius quidam vir Chriſtianiſſimus, qui erat generalis Manſur Logotheta, & valde familiaris eidem Habdimelech, atque Patricius ſocius eius, Chriſtiani, qui erant in Palæſtina, præpoſitus, qui cognominabatur Clauſus, poſtulantes, ne hoc fieret, ſed per ſupplicationem ſuam perſuaderet Iuſtiniano mittendas ſibi alias pro eis, quod & factum eſt.* hæc Annales. Quod ſpectat ad vocem Manſur, nomen id erat familiæ & non dignitas, ſiue magiſtratus; vt ſit verborum ſenſus: *Sergius Manſur generalis Logotheta*, &c. cum autem & S. Ioannes Damaſcenus cognomento dictus fuerit Manſur, teſte Suida & aliis antiquioribus, opinari licet fuiſſe hunc Sergium eiuſdem Ioannis parentem: tali namque pio, nobili, ac libero progenitore ipſum natum, eius Acta teſtantur.

a *Hab. in Miſcel. hoc anno.* COLVMNAE SACRAE ... [illegible]

IESV CHRISTI ANNVS 691.

SERGII PAP. Annus 4. IVSTINIANI IVN. IMP. Annus 7.

I. ANNVS ſequitur nonageſimus primus poſt ſexcenteſimum, Indictione quarta inchoatus, quo Kalendis Nouembr. celebratum habetur in Hiſpania Concilium Cæſaraugustanum, Era nimirum ſeptingenteſima vigeſima, tertium ordine poſitum, in quo canones ſanciti duntaxat quinque reperiuntur. Inter alia autem, quod etiam Toletanum decimum tertium Concilium b ſtatuerat de vxoribus Regum, ne poſt eorum obitum ad ſecunda vota pertranſeant, ne videlicet occaſio detur alicui inuadendæ tyrannidis: additum eſt præſenti Concilio c, vt relicta Regis poſt eius obitum veſtem regiam mutet, religioſam induat, atque inter monialeſ in monaſterio vitam tranſigat. Vt autem in hanc ſolicitudinem Rex Egica conniceretur, forte accidit ob ſuſpicionem rerum nouandarum per Sisbertum Epiſcopum Toletanum; qui mox vt ſe ſuper omnes in ſublimem cathedram eleuatum ſenſit, elatus animo, mente improba de inferenda nece religioſiſſimo Regi cogitare cœpit: ſed quomodo detectus, pœnas dederit, poſt ſequentem annum dicturi ſumus.

b *Conc. Tol. 13. c. 5.* c *Conc. Cæſaraug. 3. ...* [illegible]

II. Moritur hoc anno Berthardus Rex Longobardorum, cum regnaſſet ſolus annos ſeptem, decem autem cum filio Cuniperto: hæc ex ſententia Pauli diaconi d, poſt quem idem Cunipertus eius filius vſque ad duodecimum annum regnum tenuit. Porro de Berthardo laude digna hæc habet idem auctor e: *Erat vir pius, fide Catholicus, iuſtitiæ tenax, pauperumque largiſſimus nutritor.* Et paulo poſt: *Vt regni iura ſuſcepit, in illo loco, qua à parte fluminis Ticini eſt, vnde ipſe olim fugerat, monaſterium, quod Nouum appellatur, Domino & liberatori ſuo in honorem ſanctæ virginis & martyris Agathæ conſtruxit, in quo multas virgines aggregauit, rebusque diuerſis pariterque ornamentis eundem locum ditauit. Regina vero eius Rodelinda baſilicam ſanctæ Dei genitricis extra muros eiuſdem ciuitatis Ticinenſis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirificis decorauit.*

d *Paul. diac. ...* [illegible]

III. Regnum autem Cuniperti f, vbi ſolus remanſit, haud pacificum fuit, ſed ipſo eius exordio aduerſarium paſſus eſt tyrannum Alachim Ducem Tridentinum ſubditum ſuum, qui contra patrem Berthardum iam inſurrexiſſet, hominem ſæuum, clericis omnibus perinfenſum, contemptorem præcipue ſanctorum Epiſcoporum, contumelioſum in omnes miniſtros Eccleſiæ, cuius rei gratia in maximum ſunt timorem coniecti. Poſt multa ab eo damna illata, Zeno diaconus Eccleſiæ Ticinenſis nouo exemplo haud probato, cum diuino miniſterio altaris mancipatus eſſet, accinxit ſe gladio aduerſus eum, obſequium putans præſtare Deo, dum ob ſalutem aliorum ſe deuouit. Sed iuſtiſſimum licet bellum aggreſſus fuerit, aduerſus nimirum religionis perduellem atque tyrannum: nihilominus exitus declarauit, non placere Deo, vt ſacri altaris miniſtri pugnent armis, ſed vt potius agant apud ipſum precibus: etenim abſque aliquo emolumento idem pugnans miſere interficitur. narrat hæc pluribus ipſe Paulus g.

f *Paul. diac. ...* [illegible] g *Eod. lib. 5. c. 40.*

IV. Cæterum nefarius tyrannus eo magis aduerſus clericos exaſperatus, eiuſmodi (quod idem ait Paulus h) votum nefarium nuncupauit: *Tale itaque nunc facio votum, quod ſi mihi Deus iterum victoriam dederit, vnum puteum de teſticulis impleam clericorum.* ita barbarus animo ferus, religionis expers, immanitate proteruus. Verum obſtitit Deus, qui eum in viſione perterruit; nam ait Paulus: *Cum prope eſſent exercitus ipſi inuicem ſibi contrarij, & ſe vtraque acies ad pugnandum contingerent; Cunipertus Rex ad Alachim iterato hæc verba mandauit: Ecce quantus populus ex vtraque parte conſiſtit; quid opus eſt, vt tanta multitudo pereat? coniungamus nos ego & ille ſingulari certamine, & cui voluerit Dominus de nobis dare victoriam, omnem populum ſaluum & incolumem poſſideat. Cumque Alachim ſui hortarentur, vt faceret quod Cunipertus illi mandauit, ipſe reſpondit: Hoc facere ego non poſſum; quia inter contos ſuos ſancti archangeli Michaelis, vbi ego illi iuraui, imaginem conſpicio. Tunc vnus ex illis: præ timore, inquit, cernis quod non eſt, & tibi iam tarde eſt modo iſta meditari. Conſerunt itaque acies, perſtrepentibus buccinis; & neutra parte locum dante, maxima populorum facta eſt ſtrages. Tandem crudelis tyrannus Alachis interiit; & Cunipertus, adiuuante Domino, victoriam cepit.* hæc Paulus diaconus.

h *Eod. lib. 5. c. 41.*

ALACHIS CONTVMELIOSVS TYRANNVS DAT POENAS.

Hoc pariter anno, vbi Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſediſſet annis ſeptem, moritur, & in locum eius ſuffectus eſt Callinicus, homo nouandarum rerum ſtudioſiſſimus, de quo ſequenti anno & aliis dicturi ſumus: fuerat iſte presbyter vaſorum eiuſdem Eccleſiæ cuſtos.

IESV CHRISTI ANNVS 692.

SERGII PAP. Annus 5. IVSTINIANI IVN. IMP. Annus 8.

I. QVI ſequens eſt annus Domini ſexcenteſimus nonageſimus ſecundus, Indictione quinta notatur: quo celebratum eſt Conſtantinopoli Concilium, ſeu potius Conciliabulum, in quo nomine Sextæ Synodi centum & tres canones (quod numquam hactenus in aliquo factum Concilio legitur) ſanciti leguntur. Antequam autem de eo agamus, primum omnium de tempore habenda eſt diſcuſſio, quod ſciamus ab aliis ex ore poni habitum anno Domini ſexcenteſimo octogeſimo ſexto: verum non ante præſentem annum habitum, ex eiuſdem Synodi canonibus certo affirmare poſſumus, nempe iam nuper exacta quarta Indictione: id enim ex tertio ipſius canone liquido demonſtratur, dum in eo bis poſita eſt Indictio, atque inter alia iſta leguntur: *Omnes ſimul decernimus, vt qui duobus quidem matrimoniis implicati fuere, & vſque ad decimum quintum præteriti menſis Ianuarij, præteritæ quartæ Indictionis, anni à mundo ſexmilleſimi centeſimi nonageſimi noni peccato ſeruierunt, & non ab eo reſipiſcere voluerunt, depoſitioni canonicæ ſubiacere*, &c. Sic igitur perſpicue apparet, non ante quintam Indictionem potuiſſe eam Synodum celebrari.

CONCIL. CONSTANTIN. APPENDIX AD SEXTVM.

DE TEMPORE PSEVDO SYNODI CELEBRATAE.

II. Hæc autem cum ex ipſis canonibus habeantur, qui Sextæ Synodi nomine nuncupantur, plus apud me valent, quam quæ à Thaſario i Conſtantinopolitano Epiſcopo abſque aliqua certa auctoritate narrantur, cum ſcilicet pro corroboratione eiuſmodi canonum iſta ait: *Quæ hic ignorantia, qua plerique laborant circa hos canones? ſcandalum eſt enim dubitare, num ſint Sextæ Synodi. Cognoſcant igitur tales, Sextam Synodum temporibus Conſtantini fuiſſe congregatam, nimirum contra eos, qui tantummodo vnam actionem & voluntatem in Chriſto collocant. Illi igitur hæreticos anathemate verberantes, Orthodoxamque fidem confirmantes, ſub annum*

i *Apud Septimam Syno. Act. 1.*

THARASII SENTENTIA ERRORIS ARGVITVR.